934

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

COLICA SATURNINA.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3187664x

T.934.1

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE COLICA SATURNINA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES FFRYE,

EX INSULA ANTIGUAE,

Societatis Regiae Medicae Edinenſis Socius.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

322291

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Viro optimo ſpectatiſſimo,

SAMUELI TURNER,

Armigero,

Ob vitae probitatem inſignem,

Amicitiam, in rebus laetis et adverſis,

Intemeratam,

Et plurima, fere innumera, beneficia,

Lagiter in ſe collata;

Haſce ſtudiorum primitias,

Exiſtimationis ſincerae, et obſervantiae ſummae,

Teſtimonium ;

Necnon,

ANDREAE DUNCAN, M.D. S. R. et A. Ed. Soc.

Principis Walliae et Scotiae Medico,

Praeceptori ſuo,

Propter amicitiam,

Quam omnibus in rebus in ſe demonſtravit,

Plurimaque ejus conſilia

Privata, excellentiſſima,

Quae inde plane profluxerunt,

Sibique,

Per totum vitae decurſum,

Erunt utilia;

Has paginas ſacras eſſe

Voluit

A U C T O R.

Mr. Mc Intosh
with the best Compl.ts
from his humble servant
the author.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

COLICA SATURNINA.

ALMAE hujus Academiae legibus, nemini, niſi tractatu quodam inaugurali prolato, honores medicinae ſummos adipiſcendos ſtatuentibus obſequens, colicam ſaturninam in manibus verſare decrevi; infeſta enim illa popularibus meis, apud quos Indiae ad occaſum inſulas tenentes, mihi eſt in animo medicinam facere: Et quanquam, in rem tenebris obvolutam tantis, vim lucis novam affundere non queam fortaſſis, ſpes nihilominus ſubeſt, materi-

em, quae ad opuſculum hoc ſufficiat, non defuturam.

Dolor ventrem imum, et inteſtina, praecipue ad umbilicum, torquens, atque alvus adſtricta, praecipua ſunt colicae ſigna. Noſologi tamen methodici hunc morbum in diverſas ſpecies diſtribuerunt; quarum ſcilicet complures, cauſis unde proveniunt, doloris quem adferunt genere, effectibus earum fortuitis, exitu, aliiſque ſignis, diſtingui poſſint; vix autem aut ne vix quidem, ſi ad tales diſcriminis notas vel diverſa nomina advertamus animos, et ea, quae ſemper ad certas et bene diſcretas ſpecies ſanciendas conſpirare debent, perſcrutemur ſedulo, in omnibus unquam omnia talia reperiemus. Quatenus vero cauſae remotae, a quibus colica ortum trahat, diſcrepantes, ſpecies exhibeant diverſas, agnoſcenda ſunt forſan diſcrimina. Quoniam vero, cum iis dubia miſceantur, ipſaque inſuper a propoſito meo aliena ſint, tempus in iis enucleandis nolo terere.

Conſcripta

Conſcripta haec eſt totius generis colicae, ut a Culleno perhibetur explicatio : " Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum torquens, vomitus, alvus adſtricta."

Septem ab illo tamen recenſentur ſpecies, quibus nomina ſunt a cauſis excitantibus indita ; cum vero omnes proximam eandem cauſam agnoſcant, et remediis plerumque eiſdem tolli poſſint, apud eas nihil morabimur ; ſed ad inceptum tranſeuntes, colicae pictonum, vel (ob rationes poſtea exponendas) ſaturninae characterem, in Culleni morem proferemus.

Colica, ' Praeeunte ponderis vel moleſtiae ' in abdomine, praecipue circa umbilicum, ' ſenſu ; accedente dolore colico, primum ' levi, non continuo, et praecipue poſt ' paſtum aucto ; tandem graviore et fere ' perpetuo ; cum dolore brachiorum, et ' dorſi, in paralyſin demum abeunte.'

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Iners primum et debilis, mentem aerumnoſus, et corpus omne torpens fit ille, quem hic morbus corripit: Quoddam quaſi pondus umbilici regionem gravans, et angores uſque ad ſcrobiculum cordis prolatos, conqueritur; capitis dolor, aurium tinnitus, vertigo, oculorum hebetudo, vultus pallor, atque totius corporis dolores vagi, ſunt mala, quae, ſi non omnia ſemper, ſaepiſſime tamen vexant: Subeunt inſuper nauſea, vomitus, ventriculi aegritudo, et alia quae dyſpepſiam ſignant; deficit mirum in modum appetitus cibi; ingeſta quaecumque vomitu confeſtim rejiciuntur; nec interea movetur alvus.

Quum haec per horas, vel dies forſitan aliquot permanſerint, ventris moleſtia, quae primo levis fuerat, ingraveſcit multum; brevi poſt, crebro vomendi nixu accedente,

vomitus

vomitus ipſe mucum eximie acrem et bilem porraceam ejiciens ſubſequitur; ab aegro ſentitur haec ſanies quaſi ab ipſa parte excruciata proveniens, et evoluta in pauxillum temporis morbi levamen praebet; fugax autem hoc, ingeminantibus cito doloribus. Fere per totum morbi ſpatium, ad ſcrobiculum cordis, vel ad unicum quoddam punctum inter id et umbilicum, ut hoſpitium conſidet dolor: Exinde tanta vi ad utrumque latus identidem proſiliunt, ut ſenſum quaſi corpus diſcinderetur edunt: Aliquando ad dorſum et lumbos tranſeuntes, curſum ureterum ſequentes, veſicam laceſſunt; et omnia deinceps, quae lithiaſeos acceſſiones comitantur, exhibent: Scrotum, ilia, femora, et crura interdum aggredientes ſubito, ad pectus interdum emicantes, et per humeros vel lacertos ſaevientes, rheumaticos cruciatus ſimulant acerrimos.

Si vero laboret ventriculus, immunes ſunt muſculi externi; viceque verſa, iis ſe male habentibus, ventriculus et inteſtina

doloris

doloris ſunt adeo expertia, quod ſaepe decedentis morbi ſpes inducatur aegro; decidit autem brevi haec ſpes hallucinans; duobus etenim vel tribus elapſis horis, umbilici regionem et ſcrobiculum cordis aggreditur viribus haud imminutis dolor. Rebus ſic ſe habentibus, pars ea quae angitur conſtricta videtur, atque ſenſus adeſt, quaſi mucronibus tranſigeretur. Venter totus, circa umbilicum praecipue, nunc contractus tumores exhibet impares, nunc actus retro tergum verſus omnia ſua comprimit; nec, ſicut colicarum quarundam, in perpaucis horae momentis ſaepe quieſcit hujus dolor, confeſtim erupturus, ſed per aliquot horas aſſiduus eodemque tenore perſtat; exacerbantes nonnunquam ejus dolores adhuc magis intenduntur, vel per duas denuo vel tres horas interdum miteſcunt. Gelidis eodem tempore ſudoribus diffluitur; morboque hunc in modum pertinaciter ſeſe gerente, nec unquam in meliora deflectente, omnino ſomni quietiſque levamine privatur aeger.

Ani

Ani ſemper et veſicae urinariae muſculi ſphincteres afficiuntur, dyſuria exinde teneſmoque crebro. Aſtringitur interdum alvus tam valide, ano magna vi compreſſo et ad interiora retracto, quod natura vel arte non niſi maximo dolore cieatur: Vomitus Labore praeterea, niſi medicamentis ſublatus, una cum doloribus perſeverat uſque; vel, ſi forte deſinat, in locum ejus ſunt ructus amari, ſingultuſque ſaevi.

Naſcens hoc malum non febris ſigna comitantur; intendente ſe vero frequentiores pulſus; deceſſurum autem moleſtia plantarum margines, pedum atque digitos ſummos rubentes ſaepe et ſufflatos, quaſi arthriticos, infeſtans, denotat: Sub idem tempus verminationem colicae prorſus alienam ad inferiora viſcera percipit aegrotus. Importuna fit nunc alvus dejicienda; excernunturque globuli mole et figura ovillum referentes fimum; per humeros ſummos, et ubique loci quo ſpina porrigitur, ſaltitant dolores quaſi tremuli vibranteſque; aculeati autem, magis quam alibi, per cor-

poris

poris ſuperiora. Cubitorum cruciamenta paralyſis quaedam, movendi poteſtatem non ſolum abripiens, ſed etiam quodammodo ſentiendi obtundens, pedetentim excipit; ſuperiora corporis atque ea ſola, in aegrotantibus pleriſque arripiens, ad inferiora nihilominus aliquando ſerpit paralyſis haecce.

Talis morbi terminus frequentior; ſunt autem et alii: Etenim in ileum mutatus, omnia, quae prodant illud malum, repraeſentat: Mentis alienatio nunc excipit, vel comitiales acceſſiones, quales raro lethum minitantur fruſtra: Captus oculis hic, auribus ille, dimittitur. Paralyſis autem ea, in quam magna ex parte deſinit hic morbus, in longum prolata inveteraſcit; perque complures annos quidam ea affecti, in aerumnis agentes, vitam omnino miſerandam perpeſſi ſunt: Atque etiam, ſiquando priſtinus eorum vigor membra reviſeret, una ventrem extemplo colica, ne requiem uſque ad temporis punctum, niſi in membra

bra paralyſi revocata, concedens aggreditur.

DIAGNOSIS.

Haec ſigna, praecipua ſaltem, cum hoc morbo conſociata, quae ſpeciem iſtam inſignem, cui nomen Colica Pictonum indiderunt medici ſcriptores, confingunt; nec magnus, quum haec in paralyſin tam ſaepe permutetur, et ea denuo invicem ad primordia revertatur ſua, limites quibus inter eam, aliaſque conſimiles (praeſertim quando paralyſis ſeſe obviam tulerit) internoſcatur, ponendi labor erit. Quoniam vero, priuſquam paralyſis ſupervenerit, hanc inter et cognatas ſuas non facile ſit dijudicatu; immo quoniam aliquando inter abdita diſcrimen lateat; ſi ideo ad iſtud deprehendendum aliquot ſigna proferam, quibus, ſi non ſemper, ſaepiſſime tamen ex affectibus conſimilibus excerpatur, rem propoſito congruentem me facturum autumo.

A dyſenteria, quamvis in quibuſdam ſignis hanc referentibus, maxime ſi a teneſ-

mo ordiantur, urgente ſimul muci et ſanguinis profluvio, quanquam non ſine negotio quodam, diſcernitur tamen colica noſtra: Non enim, more hujus, moleſtia dyſenterica, acerbitatem ſuam in longiuſculum tempus ſine levamine intendit, ſed in temporis tantillo commeat plus vice ſimplici, dyſenteriam quoque decedentem ſaepius teneſmus rariuſque naſcentem comitatur.

Per ejus quoque vim acriorem, per alvum magis pertinaciter adſtrictam, per dolores ſaepius a loco ſuo apud inteſtina, in corporis ſuperiora, exinde in ventriculum, denuo proſilientes, eoſdemque (quum non a ſede ſua dimoveantur, ſed in abdomine fixa maneant) unico puncto magis ſedentes, a colica ſpaſmodica flatulenta dicta, diſtinguitur haec pictonum.

Inter eandem autem et bilioſam, liquidius adhuc intercedit diſcrimen: Vomitum enim magis inſignem, pluſque bilis egerentem, affert poſterior illa.

Nec non ab ileo diverſe ſe gerit colica pictonum; raro enim haec (ut ſuperius animad-

animadverſum eſt) inter ejus initia talem accipit formam; neque niſi quum incurioſius tractata, male curata, vel ſub finem vi praedita fuerit vehementiori, in ileum diſcedit: Inverſus enim ille motus, qui periſtalticus nominatur, proprium eſt ilei ſignum, diſcrepantiam inter eam et colicam noſtram haud facile praetermittendam exhibet. Obſtant inſuper multa, ne pro viſcerum inflammatione habeatur hic dolor colicus; non enim una cum hoc ingruit febris; vel, ſi forſan adſit, haudquaquam viribus tantum pollet, quantum in inflammatione continua.

CAUSAE REMOTAE.

Diagnoſticis peractis, in proximo eſt, ut ea indagentur, a quibus hic morbus oriundus ſit. Uno ore medici, cum veteres tum recentiores, uſque ad hodiernum fere diem, ipſis iiſdem cauſis eum adſcripſerunt; quas ſcilicet cauſas e febribus, venenis, acidis li-

quoribus

quoribus aceſcentibus, arthritide, rheumatiſmo, exhalatione per cutem impedita, ſcorbuto, et animi affectibus, petierunt. Ab eruditiſſimis autem quibuſdam hujus aevi medicis haec cauſarum ſeries ad examen poſtulata eſt; nec defuerunt iſti ſolertes homines, quin multa in medium proferrent doctura, plumbi ſolutiones atque calces, ad colicam pictonum procul dubio gignendam valentes, exordiis, quae adhuc ſunt commenta, relegatis omnibus, et nulla exceptione admiſſa, pro cauſis eſſe habendas ſolis atque veris.

Praecipuus ex iis Georgius Baker eques, eodem hoc morbo, principia ejus certa atque ſpecialia deprehendendi cauſa, conquiſite nec ſine peritia multa penſato, memoratu hoc dignum habet, ſcil. variis rebus, ex iis vel medicamentis vel venenis, quibus natura ſcatet, vires ſibi proprias ineſſe; ut et eorum unumquodque effectibus, quos in humanum corpus unius formae ſibique conſtantes ipſum, nec aliud quoddam, praeſtat, ab aliis rebus diſtingui

ſtingui poſſe; plumbum, inquit ille, proprium ſibi vendicat, quod ab ipſo peculiaribus notis inſignitus excitetur morbus; et quanquam minime ab hoc ſolerti ſcriptore nihil aliud, praeter plumbum aliquod ſimile progenerare, ſit aſſeveratum; non tamen ei (ut ex dictis pateat ſuis) hujuſce ortus ſuſpicio videtur abſimilis; praeſertim, quia non adhuc prodiit ſub dio alia, quae tam plene phaenominis ſuis reſpondeat, cauſa.

Et quidem experimentis eruditi hujus medici, atque concluſionibus inde deductis ſedulo perpenſis, non dubium eſt mihi quin, ex uno eodemque veneno ſpeciali, plumbo ſcilicet, morbus ille de quo agimus, apud eos, qui in India ad occidentem degunt, *the Dry-belly-ache*, apud Anglos Damnoniorum Colica, aſt colica pictonum apud eos qui Europam reliquam incolunt, dictus ortum ducat. Nec quanquam in rerum conjunctionibus queiſdam, via qua hoc in ventriculum inducatur, non ipſo intuitu compareat, effectus nihilominus tam ſimiles, vix ac ne vix quidem, a cauſis abſi-

abſimilibus proventuros ponere, philoſophiae haud diſſentaneum eſt; congruens enim ſibi et uniuſmodi natura: Si igitur jure nonnunquam arguatur plumbum, ſuſpicandum ſemper. Tentaminibus quidem et animadverſionibus, quae poſtea fiant, dijudicanda manet haec ſententia: Sit vero recordatum interea, quod, quamvis ob rei ipſius indolem, certa atque aperta ratio non adhiberi poſſit, veriſimilitudo tamen ejus, meo ſaltem judicio, argumentis nequaquam attenuata, et uſu compertis illaeſa permanſit adhuc. Omnes vero cauſas quas cogitatio humana finxit, quum nec in hujuſmodi tractatu prolixe differendi copia ſit, nec multa, quae ſententiam ſuperiorem fulciant, ſuppeditaverit experientia mea; praecipue vero quum ille nuper citatus, intactum vix aliquod relinquens, praegreſſus ſit, percurrere haudquaquam neceſſarium eſſe videtur. Si vero pauca, quae hujus mali fontem, et modum quo in India occidua contingere credita eſt reſpicientia, mihi obviam venere, memorem, quantum

ſit

ſit ſatis me expleturum ſpero. Via quidem vaga, parum explorata, atque philoſophiae aliena, iſti, qui poſtquam medendi artem in regionibus antea dictis exercuiſſent, hujus morbi in ſcriptis ſuis fecerunt mentionem, originem ejus indagarunt; res ſcilicet efficientes valide inter ſe diverſas, nec rei efficiendae (gregatim etiam) pares eſſe probatas, in unum congerunt: Res iſtae, ſi carptim annumeres, in fontanos latices inquinatos, fructus acidos, potus e ſaccharo confectos recentiores, atque bilem, ut praecipuas referuntur. Minime autem, ex quovis argumento ſatis rato, conſtat, vel fructus acidos, vel aquas minus ſinceras, huic ipſi malo originem ſuam praebere: Sed potius, quoniam viſcera ſubinde torminibus afficiant, in ſuſpicionem incidiſſe videntur. Apud ea autem, quia cauſae ab aliis habitae, a nobis rejectae ſunt, morandum eſt pauliſper.

Per me revera licet, et facile recipio, aquam immundam atque amaram, fructus necnon acidos, inſuetis tormina alvique dejec-

dejectiones infligere poſſe; notandum eſt autem, quod, utcunque ab iis torqueantur viſcera, proluvie laborandum ſit alvo. Longe aliter autem res in morbo, de quo nunc agimus, ſe habent; alvi enim conſtrictio, ferme inexplicabilis, indicio eſt characteris praecipuo. Et quidem, ubi nihil aliud praeter ea de hoc malo eſſet adhuc ſuſpicatum, aliquid tamen latens, nec hactenus deprehenſum, id tamen progenerare, opiner, cauſa ſcilicet tum excogitata, ſibi, quod ad effectus, parum conſentiente.

Innotuit inſuper, et pro certo habetur apud Antiguam inſulam, mortalium alborum plebem multo magis quam Æthiopica mancipia, huic morbo obnoxios eſſe; haecque praeſertim ea tempeſtate, qua jam maturata demetatur ſeges, quumque operam impendant apud aedificia ad ſacchari ſuccos eliciendos atque coquendos conſtructa, hiſce malis implicari. Interea, quoniam in oris iis corrumpatur valde ſpurcitieque foeteat aqua puteana, pluviam ex-

pectant

pectant Europei incolae, utpote quae longe praecellat alteri; hanc igitur exceptam domiciliorum tectis (quae aſſeribus ad imbricum et tegularum exemplar formatis, minioque illitis contexuntur) canalibus e plumbo confectis in ciſternas demittunt, ibique in domeſticos recondunt uſus.

Si igitur praeter dubia explicari poſſit, quod plumbum una cum aquis ex aſſeribus ſolutum delabi, vel in ciſterna corroſionem ab iiſdem ſubire poſſit; ratio ob quam praediorum inſpectores, albentiorumque vulgus pejora ex hac colica, quam fuſci homines patiuntur, confeſtim apparebit.

Magnam vim etenim aquae hujus pluvialis cum latice e ſaccharo expreſſo recentiori commiſtae, nec percolatione nec mora depurgatae hauriunt iſti; poenaſque dant ideo; ex puteis autem ſervorum potus: Si igitur aquarum immundities ad hunc morbum ſola valuiſſet, certe ſpurcas immodice ex puteis atque amaras libentes Afri, ex ea graviſſima accepiſſent incom-

 moda;

moda; aliis forſan immunibus: Nequaquam autem hoc, ſed longe aliud, experientia comprobatum eſt.

Si vero in aqua ſola delituiſſet malum, certe oppidi iſtius Jamaicenſis, quod *Spaniſh-Town* nominatur, cives, eadem qua milites utentes, vix ferme illaceſſiti evaſerint. Fide tamen liquida probatur, ex rebus, quas obſervantia ſua exploratas medicus quidam argutus memoriae tradidit, quod neque cives ipſi, neque militum praefecti, aeque ac gregarii milites, hac colica conflictarentur*.

Solers ille ſcriptor, qui obſervata ſua de veneficio plumbi in lucem edidit, refert in tabulas exemplum ſingulare, in quo ex aqua, cui ineſſe hoc virus opinatum eſt, ortum ſuum traxit idem morbus; narraturque ab illo, generoſo cuidam, apud inſulas antea dictas agenti, mancipia fuiſſe multa: His omnibus in uſu fuiſſe aquas, eodem ad amuſſim ac eo modo, de quo jam memoratum eſt, conquiſitas; hujus familiae unumquemque

* Vide Experimenta Joan. Hunter, M. D. Act. Med. tom. iii. p. 227.

quemque fere, colica vehemente, necnon ſaepe lethali, vexatum eſſe; medicum ideo (nec injuria) plumbum, aquis ex aſſeribus delatum, atque inter eas ſuſpenſum, hujus mali incuſaviſſe; nec opinioni huic, nec votis ſuis fefelliſſe, quod ex iis qui a tali potu deinceps abſtinuere, nemo eſſet qui a tam peſtiferae colicae incurſibus non vacaret.

Inter acta quoque Collegii Regii Medicorum Londinenſis, tom. 2. Wallius negotii inter quod, et id jam nuperrime memoratum, non multum intereſt, mentionem facit. Inquit ille,

"A gentleman of this town was the father of a numerous offspring, having had one and twenty children, of whom eight died young, thirteen ſurvived their parents. During their infancy, and indeed until they had quitted the place of their uſual reſidence, they were all remarkably unhealthy; being particularly ſubject to diſorders of the ſtomach and bowels. The father, during many years, was paralytic; the mother, for as long a time, ſubject to colics,

and

and bilious obſtructions. She died at laſt of an obſtinate jaundice. This diſeaſe had been ſeveral times removed by the uſe of the Bath water; but it always came on again ſoon after her return to Worceſter: And at laſt eluded every method and medicine which was tried.

"After the death of the parents, this family ſold the houſe which they had ſo long inhabited. The purchaſer found it neceſſary to repair the pump. This was made of lead, which upon examination was found to be corroded, that ſeveral perforations were obſerved in the cylinder in which the bucket plays; and the ciſtern in the upper part was reduced to the thinneſs of common brown paper, and was full of holes, like a ſieve. The waters of this town are remarkably hard. They curdle ſoap; coagulate milk; let fall a large precipitate upon the addition of an alkali, fixed or volatile; and, in dry ſeaſons, taſte bitter and aluminoſe. They conſequently contain a calcareous earth diſſolved by an acid,

acid, which appears to be of the vitriolic kind. Though ſuch an impregnation may not make water a perfect menſtruum of lead, yet it certainly may make it capable of corroding that metal; and therefore the caution of Galen and Vitruvius, with reſpect to the uſe of leaden pipes, for the purpoſe of conveying water, as cited by you, appears to be well founded, for the reaſon which you have aſſigned, viz. becauſe ſo much lead may thus be mechanically mixed with and ſuſpended in water, as to communicate to it noxious qualities. The foregoing account fully confirms the truth of your obſervation; and indeed it is more than probable, that the water of this pump, thus mixed with lead, did occaſion the unhealthineſs of the family, who drank of it. Since I wrote what is above, I have been informed by the plumber employed by that family, that he had ſeveral times repaired the pump; and particularly that he had done ſo not more than three or four years before that gentleman's death;

and

and that he then found it nearly in the ſame ſtate as has been deſcribed, ſo that the corroſion was effected in a ſhort time, and conſequently the water muſt have been very ſtrongly impregnated with the noxious qualities of the metal."

Nec inſuper defuere qui fructibus vel acidis jam, vel ad acorem vergentibus, hunc morbum, ut ſobolem ſuam, adjudicarunt: Sed, ſi tale judicium cum vero ſtetiſſet, multo longius ergo apud gentes atque latius, quam ſolet adhuc, graſſandum eſſet eidem: Turcis a ritibus ſuis interdicto vino, pomorum ſuccos, admodum acidos, nec parce in ejus locum ſufficiunt; rara tamen apud eos, et vix nomine ſignata, talis colica. Anne vero (ut rem ulterius perſequamur) infantes, et homines imbecilli, quorum primae viae acidis exundant, in hanc colicae ſpeciem, magis quam alii, proclives? Minime; ex iſto etenim acore diarrhoea, atque cholera, quod et bene notum eſt, plerumque concitantur. Percrebuit opinio, quod muſtum inter inteſtinorum

rum laxantia ſit; quodque, cum eo prolutum ſit, periculoſa diarrhoea ſoleat induci; imo de hoc adfert teſtimonium Hippocrates ipſe, γλευκος ῾υπαγει και διαχωρεει.

Ob quam cauſam igitur, Americae, ejuſque partium ſolſtitiis circumſcriptarum incolae ditiores, quibus eſt in uſu malorum citreorum, ſimiliumque parum maturorum vis magna; quique ex horum ſucco, et expreſſo ſacchari latice vetuſto, ſolitum ſuum potum (*punch* nempe) conficiunt, hodie raro aut nunquam tali colica vexentur? Eſtne quod ars fructus eos mitiores, quam erant olim, reddidit? De cultu tantum meliores minime liquet; ſed et ſatis liquet de hujuſce liquoris e ſaccharo recentis a quo non adhuc iſtud virus plumbeum receſſit, copia apud pauperiores Europeos aſſumpta, et malorum originem quodammodo prodit; ex liquore enim tali revera provenire mala obſervata ſunt.

In ſummam igitur judicandum eſſe videtur, quod haec colica naſcens, alibi quam inter fructus acidiores, quaerenda ſit: a quibuſdam

quibuſdam enim medicis fama inſignibus, qui apud regiones ardoribus ſubjectas aliquamdiu commorati ſunt, perhibetur teſtimonium, multum fructibus iſtis ad id ipſum malum ſummovendum commiſſum eſſe fidei: Nec hoc ſolum, ſed etiam iſtis adhibitis ab ejus impetu praecautum eſſe. Alii inſuper medici, contra ſpaſmos, dyſenterias, et alia, quae labe quacunque oriunda, apud plagas calidiores graſſantur, certiores nos faciunt, meliora, quam plantae acido imbutae, non eſſe auxilia: Nec languide hanc ſententiam exponit Jac. Bontius; 'videtur,' inquit ille, 'natura voluiſſe
'ex profeſſo, multas acidas et conſtringen-
'tes herbas e terra producere, contra vio-
'lentos et endemios morbos, dyſenteriam
'nempe, choleram, et ſpaſmum ortos; ut
'quaſi digito monſtraret, ubi haec vel ſimi
'lia mala naſcuntur, ibi locorum remedio-
'rum manifeſta, et etiam occulta qualitate
'pugnantium, penuriam non fore *.'

Haud

* Lib. VI. cap. xxvii.

Haud ob aliquam aliam cauſam, quantum inveſtigatio mea proceſſit, bili hic morbus eſt, ut origini ejus, adſcriptus, quam quia bilis ſubinde, dum ex hoc laboratum fuit, prodiit evomita : Id autem potius a nauſea, et vomendi niſu, colicae affeclis et ſatellitibus, provenire videtur ; namque vomitum importunum, a quacunque cauſa excitatum, bilem copioſam egerere, inter maxime nota habetur. Maritima quoque nauſea, ob ſignorum ſimilitudinem, aeque ac colica, ſi res ex hac penderet, incuſanda eſt bilis. Vocabulum ipſum revera, ſcil. bilis, ſicut nimis quam multa, quae medicis in promptu ſunt, ſine ſenſu adnexo, necnon ut inſcientiae larva, et obvolucrum uſurpatur.

Apud Indiae occidentalis incolas (et cum iis conſentit Hillarius ſolers) ſancitum eſt, quod inter hujus mali cauſas annumerandus ſit ſacchari ſpiritus recens, ardentiſque ſaporis ; huic ſententiae concors et mea. Nec ſi ad modum, quo exprimitur atque conficitur iſte latex, reſpiciamus, erit arduum expoſitu, quare ex eo ſuboriatur. In

Antigua enim inſula ſaccharinus ſuccus ipſe, inter ſaccharum conficiendum, plumbo perſaepe objicitur; in ciſternam enim plumbo intus obductam, recta quum a piſtrino defluxerit, recipitur; exinde canalibus e plumbo confectis defertur ad lebetes; ex cupro equidem lebetes; plumbatum autem id in quo, quaſi in lecto, reponuntur; ex plumbo quoque canales quibus pervehuntur laticis recrementa ad receptaculum ſuum; ex quo, ut iis commiſceantur, quae liquoris, quem *rum* appellamus, comparandi gratia fermentationi eſſe ſubjecta conſueverunt, depromuntur: Nec raro praeterea a piſtrino uſque ad lebetes, operculi expers, aërique corroſionis (liquet enim experimentis) aliquantulum in plumbum exercenti, quod ad ſe et ſua patens progreditur jam dictus canalis.

Ex recrementis et aqua primis conſtat ea, ad laticem talem conficiendum, fermentationem patienda miſtura; adjicitur iis ille liquor qui, perfecta jam ſucci expreſſione ſtillatitia, in vaſe reſidens *dunder* nominatur,

tur. E cupro necnon, quod ſtanno obducitur, conſtat vas in quo perficitur diſtillatio; e ſtanno ſeu plumbo albo ejus pars ſuperior, ut et ſpira uſque ad vas progrediens in quo refrigeratur humor. Si igitur ſtatuamus (quod quidem a nupero auctore ſagaci monſtratum eſt *) tali liquori, dum adhuc recens ſit, ineſſe plumbeum quoddam; vix deerit ratio, quare Europeos inopes iſte morbus laceſſat, indicans; nec quare, praecipue tempore meſſis, immuniores alia quavis tempeſtate, ſervos Afros apud aedificia, ad coquendum et diſtillandum parata, tunc degentes, largiuſque recentem potum bibentes talem, maxime angat; nec contra, ob quam rem, incolae praeſertimque coloni, qui ſedulo de aqua et liquore praedictis cavent, in eundem vix unquam incidunt.

CAUSA

* Med. Tranſ. vol. III. p. 132. &c.

CAUSA PROXIMA.

Proxime ex ſpaſmo, inteſtina afficiente, naſcitur hic morbus; nec equidem hoc ab iis, quibus ad eorum inflammationem attribuitur, inficiatum. Itaque Van Swietenius ſimul ibidem inquit, 'Varia experi-'menta recenſita fuerunt, quae docent, 'acria applicata inteſtinis ſpaſmos excitaſſe, 'in his fibris muſcularibus, per quos inteſ-'tinum conſtringeretur validiſſime; non 'tantum in loco, cui acre applicatum fue-'rat, verum etiam in vicinis pluribus locis, 'eodem tempore, ſic conſtricta fuiſſe inteſ-'tina, ut omnis tranſitus contentis inclu-'deretur.'

Alibi quoque, inter colicae cauſas enumerandum, 'Si arthritica materia ad ſolita 'loca deponi impediretur, ſaepe in viſceribus 'abdominalibus horrendos ſpaſmos excitat.'

Similia

Similia quoque profert Franciſcus Homius, illuſtris praeceptor meus: ‘ A ſpaſtica ‘ inteſtinorum contractione oritur hic mor‘ bus; elucеſcit a ſymptomatibus, cadave‘ rum inſpectione, et experimentis in vivis ‘ animalibus inſtitutis.’

In eandem ſententiam ierunt Junkerus et Tronchinus. Eodem tempore inſuper, quo ab hoc ſpaſmo laboratur, abdominis muſculi ſe contrahentes, et anus ad interiora retractus, omnem inteſtinorum regionem majori vel minori gradu conſtrictam eſſe demonſtrant.

PROGNOSIS.

Omina, quibus hujus morbi exitus praeſagiendus, varietatem ex ſtatu aegrorum vario accipiunt: Pro temporis ſpatio inſuper, per quod efficienti cauſae, ſuas vires in corpore congerendi, ſatellitiumque ſuum adaugendi copia fuerit, auſpicia diverſa de-

ducenda

ducenda ſunt ; de his igitur nunc differendum.

Si ſit malignitatis expers, atque curioſe et perite tractatus fuerit morbus, tolli poterit ferme intra ſex dies vel hebdomada.

Si vero ex incuria vel inſcientia, ad vim infeſtam provectus fuerit, per hebdomadas aliquot, vel etiam menſes exinde commorans, in paralyſeos eam ſpeciem, quae in corporis ſuperioribus torpet, tandem deſinit ; vel, ingruente morbo ſontico, excipitur morte, ultimo miſerorum ſolatio.

METHODUS MEDENDI.

A ſpaſtica conſtrictione ſolvenda orditur medendi ratio ; atque ex triplici ſpecie remedia, quae ad id efficiendum adhibeantur. *Primo*, Quae contra ſpaſmum valentia antiſpaſmodica nominantur ; *2do*, Quae alvum cieant ; *3tio*, Quae mechanica vi diſtentionem concilient. Haec igitur ſingulatim obiter attingam.

Antequam

Antequam haec remedia exquiſitius aggrediar tractare, non erit alienum fortaſſis annotare, venaeſectionem, niſi febris adſit, nunquam prodeſſe, immo ſubinde detrimentum adferre; minime enim inflammationi affine videtur eſſe hoc malum; nec equidem, quanquam alvi conſtrictio perduret dies complures, et ventris non levis tenſio ſuboriatur, eſt cauſa, ob quam gangraenam inteſtinorum metuamus. Praeterea, quoniam ſub ſole torrido maxume ſaeviat morbus, ſanguis miſſus aegrum debilem plus juſto atque languentem reddere poteſt.

Inter antiſpaſmodica annumerandus eſt calor, vel cum vel ſine humore corpori admotus; proſunt ad ſpaſmum quoque levandum epiſpaſtica; opium inſuper, atque olea mitia, ad idem conſilium perficiendum utilia.

Ea vis ſpaſmi reſolvens, qua balneum calidum pollet, ab omnibus recognoſcitur; etiam ii, qui de morbis omnigenis, quibus adeſt ſpaſmus, diſſeruerunt, ei praecipuum inter ſpaſmum ſolventia locum permiſerunt,

runt. Huic rei conſulens Chalmerus, dum opiſthotonon et tetanon tractat, teſtatur, ‘ Horum ſpaſmorum curationem in balneo ‘ et opio conſiſtere ; aſſeverat quoque, ‘ laborantes ante balneum raro quicquam ‘ devorare poſſe ; ſed illius uſu contractio- ‘ nes remittere.’ Huic ſententiae pondus a Macaulio, eum ſpaſmum quem Anglice *the locked jaw* appellamus tractanti, atque a noſtro Whytt quoque adjicitur majus. Quantum veri in hoc ſit, dijudicet omnium experientia ; ea enim ſola adpellanda.

Si vero, ut nonnulli volunt, efficax ſit ſolummodo balneum contra ſpaſmos, quorum locum ipſum attingit, deficiens interea quod ad magis reconditos, reſpondendum eſt, balneum cutem afficiens, eamque lubricans, per conſenſum ejus cum inteſtinis prodeſſe ; reſque ita ſe habere experimentis ſancitur. Nec ob aliam cauſam, ut colicam lenientia, fomenta praeſcripſerunt Celſus, De Haenius, Huxhamius, Van Sweitenius, Dolaeus, Junkerus, et Hillarius. Balneum quoque laudibus effert Hoffmannus :

Tron-

Tronchinus inſuper balnea prodeſſe, ſi tepida, affirmat: Poſtremo, fomentis collaudatis, autumat Huxhamius quod 'longe 'feliciores effectus expectandi ſunt, ſi aeger 'in ſemicupium demittatur.' A Citeſſio equidem accipimus, quod, ubi ne etiam ad horae momenti quietem profeciſſet balneum calidum, ei ſemper conſuetum erat, nec unquam dubitaverat, in frigidum, etiam hyeme ſumma, aegros demittere; provocatque concives ſuos ut enuntient, anne, ex aegrotis qui ab illo tali ratione tractati erant, plerique incolumes evaſiſſent.

Epiſpaſtica quoque, ventri applicata, ſaepe ex hac colica dolentibus levamen attulere ſubitum: Ex uſu quoque comparuit, quodſi poſt ea confeſtim adhibeantur cathartica, vires eorum melius exerceantur.

Opium praeterea dolores leniens, et exaſperantia obtundens, huic morbo, utpote ventriculi et inteſtinorum tunicas nervoſas laceſſenti, atque ideo ſpaſmos moleſtos ſecum omnino conſociatos afferenti, gravi et viroſo fortiſſime occurrit: Et equidem in

 ea

ea reponenda eſt ſpes maxima: Ab hoc curationem ordiri voluerunt De Haenius et Hillarius. Necnon eorum, qui maxime in medicina inclaruerunt, tentamina ſaepius iterata idem comprobarunt; nec id ſolum, ſed etiam, cum pertinaciter ſit adſtricta alvus; cum, inflammatione abſente, ſpaſmi vires ſint ſuſpicandae; cum vomitus cathartica ſtatim ejiciens obſtet eorum efficaciae, cumque dolor exagitet immanis, compertum eſt ab iiſdem, opium, non modo ob virtutem eam, qua dolorem mulcet, ſed et iſtam, qua ſpaſmos ſolvit, ut cathartica effectus ſuos praeſtent, eſſe neceſſarium. At compluribus, qui non ſine magno nomine medendi artem exercuerunt, laudata ſunt olea mitia large aſſumpta; utpote quae lubricantia et laxantia, ſpaſmum mitigent; nunc cum caſſia fiſtulari, nunc cum ſyrupo e roſis confecto, Tronchinus amygdalorum oleum adhibuit commiſtum. Attamen apud Indiae Occidentalis incolas, ubi ſaevit eadem colica, plantam quandam, et alvum leniter mollientem et oleoſam benigna ſubmini-

miniſtravit natura: Tale enim eſt oleum ricini, cujus facultates, a medicis quibuſdam apud Londinum conſociatis, in ſecundo Obſervationum Medicarum tomo quem in lucem edidere, luculenter ſunt expoſitae. A Fraſero quoque, poſtquam in regionibus ſupra dictis medicinam exercuiſſet, profertur teſtimonium, hoc ipſum oleum, a colica eadem vexatis, non ſine commodo magno ab illo adhibitum eſſe: Quoniam vero nec omnes ſatis magnam medicamenti talis copiam devorare queant, cum Gallici vini, vel ſacchari ſpiritus pauxillo miſtum, ſatius eſſet propinare.

In ſecundum ordinem eorum, quibus huic morbo occurrendum eſt, ſuccedunt cathartica; et haec vel ore aſſumpta, vel in anum injecta: E prioribus ſunt multa; lenia quaedam, alia vero magis acria et efficacia, qualia draſtica nuncupantur. Ex iis autem, quod ad hunc morbum, ea, quae leniter agunt, valentioribus hodie anteponuntur; quia a vomitu acriora rejectante periclitatur; ipſa quoque inflammatio-

nem

nem augentia, et inteſtinis irritationem praebentia, ſpaſmum intendere minitantur.

Ex lenioribus vero, tartari cryſtalli rite inter maxime convenientia recenſentur; commode enim portionibus exiguis, ſed ſaepe iteratis, adhibetur, uſque ad alicujus momenti copiam: Ex hac quoque adminiſtratione, minus quam cathartica alia, multoque minus quam medii ſales reliqui, vomitum ciet; convenit idem igitur, quum etiam ad ſemunciam, ut linctus, aſſumitur: Glauberi praeterea ſal medius catharticum aliud praebet, neque acrimonia ſua exacerbans, neque tormina adferens; quoniam vero ſaporis injucundi eſt, et vomitu fortaſſe rejicietur, Culleni noſtri ſententia eſt, quod ſi communis ſalis quam maxime puri ſexta pars adjiciatur, melius ſe res ex eo habebunt: Docet Warrenus, eum hoc ipſum medicamentum omnium efficaciſſimum uſu comperuiſſe; necnon facilius et citius, ab hoc in aqua tepida ſola, vel ea, cum qua commiſcetur ſenna, infuſo, et alternis horis aſſumpto, alvum eſſe dejectam, quam ullo

alio

alio cathartico, quod violentius exiſtens draſticum nominatur.

Laudat quidem ſcriptor nuperus et doctum, mercurium dulcem largiter aſſumptum. Hoc autem medicamentum, a quibuſdam omnino praetermittendum videtur; quia non abeſt periculum inflammationis ab ejus uſu. Iis vero hoc objicientibus reſpondeatur, me ſaltem judice, quod, iſto medicamento atque opio admiſtis, nec catharticis aliis antea adhibitis, a periculo tali praecavebitur.

Attamen ſi quando catharticum valentius fiat neceſſarium, jalapium rite paratum, et tartari chryſtallis adjunctum, ſub forma iſta, quae in Pharmacopeia Edinenſi pulvis e jalappa compoſitus nominatur, et guſtui minus ingratum, et ventriculo minus quam alia, quae vi gaudent ſimili, moleſtum erit.

Scriptor Batavus alumen, ut et adverſus hunc, et alios inteſtinorum pertinaces atque cruciantes affectus valens commendavit: Complures quoque, nec autoritate mala comprobatas, de effectibus ejus ſalutiferis, protulit

protulit hiſtorias *. Ceb. Percival inſuper monet ipſum medicamentum idem circiter quindecies uſurpaſſe; adjicitque id tantum profeciſſe, quantum teſtimonio jam recenſito fidem conciliaret. Portio, quae ei in uſu fuit, a granis decem incipiens, nec viginti ſuperans cum pari quantitate ſacchari confundebatur. Cum Arabico gummi et ſpermate ceti vult ut miſceatur, ſi quando nimis aſperi et auſteri timor incidat. Certiores quoque facit grana ejuſdem quindecim, quarta quaque, quinta, vel ſexta hora aſſumpta, leniter alvum ſolvere plerumque; dolorem praeterea, ſi non immanis ſit, demulcere: Imo etiam aliquando omnino ſopire.

Nonnulli, poſtremo, medicinam facientes vomitoriis e ſtibio comparatis, ab obſtructione inteſtina liberare conati ſunt; atque hoc iiſdem, portione exigua ſemel adhibita, et juſto temporis interſtitio iterata, adhibitis; et quidem quando non omnino vomitu hae doſes rejiciantur, ad alvum ciendam efficaciſſima fiunt.

Haec

* De Colica Pictonum Tentamen, et append. autore Joan. Graſhio.

Haec ſunt praecipua ex medicamentis, quae ore aſſumpta, pollent ad inteſtina evacuanda. Varia autem ſunt praeterea, eodem conſilio in anum injecta; interanea enim ampliora, colon praeſertim, occupat hic morbus; ibique ſtercore in valvulas impacto ſaevit adhuc magis; alvi igitur ſubductio, celerius agens, opem fert citius; et quidem, quia adeſt ſaepe vomitus ore aſſumpta rejecturus cathartica, colicam hancce alvum ſubducendo aggredi, nec ſine cauſa, ſolent medici: Primo enemata mitiora conveniunt; qualia ex aqua multa, cui adjicitur pauxillum olei minime acris, fiant: Si vero haec non votis reſpondeant, commiſcetur cum iis aliquod ſtimulantis; et quidem ſtimulans deſideratum, non incaſſum inter ſales medios requiritur: Praeſtat autem ex iis communis ſal marinus. Si denuo parum hoc modo proficiamus, ſennae foliorum, vel cujuſcunque alvum cientis, cujus vires ſcilicet aqua educantur, infuſionem adhibere juvat.

Tere-

Terebinthinae quoque oleum, ſi quantum unciam aequet adhibeatur, compertum eſt ſaepe non inutile medicamentum; cavendum eſt autem, quod ad modum quo adminiſtratur; eſt enim periculum ne, inteſtina ſtimulans, inflammationem iis inferat. Ex iis praeterea, quae a ſtibio ſunt, Cullenus nos certiores facit ſe non ſine eventu felici, drachmam tartari emetici aqua ſoluti adhibuiſſe: Si vero faeces obſtent quo minus hoc retineatur, neceſſe eſt ut injiciatur nicotianae fumus: Qui altius penetrans, et ſeſe per omnia inteſtinorum diffundens, magis ad alvum deducendam pollere compertus eſt.

Praeter cathartica, quae vel ore, vel ano ingerantur, eſt et aliud, quod in eorum locum, quum fruſtrata ceſſerint, non ſine commodo ſubire poteſt; atque hoc eſt aqua gelida corporis inferioribus affuſa; aegro interim, femora, crura, et pedes nudo ſuper lapidem frigidulum ſtante.

Attamen, ſi immanis ſit conſtrictio, nec a quovis eorum, quae jam recenſita ſunt, debellanda, medici, quo voti compotes fiant, ad

ad vim mechanicam ſe recipiunt; exinde nonnunquam id aqua tepida molientes; nonnunquam argento vivo; interdum vero globulo metallico ore aſſumpto.

Quando vero inteſtina tenuiora obſtruantur, atque apud ea res agenda, vix eſt ſperandum, quod, valvula coli reſerata, eouſque pertingeret aqua: Sed, e contrario, quando coli pars aliqua afficitur, aquam minime vi diſtendente, aſt reſolvente praeſtare ſuos effectus, ſtatuere licet: Aqua tamen calida, hoc modo ſenſim injecta, multum a De Haenio ob vires ejus ſalutares collaudatur: Et a Culleno accepimus, eum experimentis, quae ſibi inſtituere contigerat, hoc ipſum inter maxime efficacia remedia habere.

Argentum quoque vivum, purum, metallicum, nec aliquo modo mutatum, ut remedium colica ſpeciale habitum eſt; huicque tantum confiſus eſt Doverus, ut aſſeveraret, ' Reginam Carolinam (atque ' colica revera extincta eſt) ſi mercurium ' ſumpſiſſet, duodecim horarum ſpatio con' valituram.' Sydenhamus autem illuſtris,

qui nunquam ſine cauſa nec temere aliquod remedium damnavit, profert haec, de ileo differens, 'Methodus eum curandi 'hactenus fere incognita fuit, quicquid 'jactabant de uſu argenti vivi, et globulorum, quae, praeterquam quod parum 'conducunt, noxiam ſaepe haud contemnendam inferunt.'

Abſolutis jam iis quae ad medicamenta, huic morbo tollendo inſervientia, pertinent, quantum ille morbus inteſtinorum ſit proprius; reſtat ut quaedam de paralyſeos, in quam tam ſaepe prolabitur, curatione proferam: Et quidem in eo rerum ſtatu, a nervoſa vi renovata orditur (ultro quaſi) curationis indicatio.

Adhibenda autem ferme ſemper ea, quae paralyſi conveniunt. Atque ſunt ſtimulantia et extrinſecus et intus adhibita; Qualia ſunt veſicatoria, ſcintilla electrica, exercitatio, ſtrigilis, balneum calidum, balſama, et gummi. A Van Swietenio aſſeveratum eſt, eum aliquando frictione, et emplaſtris aromaticis abdomini ſuperimpoſitis,

eandem

eandem ſuſtuliſſe ; hac ſcilicet ratione, quia morbus hic apud nervos abdominales oriundus, debet etiam in origine ſua oppugnari : Talia vero ſtimulantia, an externe impoſita, an interne adhibita, ad exitum optandum vix unquam aliquod contulere. Paralyſi huic, Gallici, ut mihi ex authoritate perquam aeſtimabili factum eſt notum, ab alvi ſolutione medici incipiunt ſubvenire ; exinde decoctum lignorum ſudorem eliciens adhibent ; et poſtea ad loca, ubi fontes metallo et ſulphure imbuti ſcatent, aegrotantes amandant.

Balneis calidis praecipue confiſus eſt M. De Senac. Indicatur revera hic quodcunque ventriculum et inteſtina a colicae reliquiis nocentibus liberet, atque ejuſdem regreſſum diſtineat ; quidam muſculorum vires ab aromatis, et infuſionibus amaris, ratione ſimul, qualem merent, ad inteſtina et eorum conditionem habita, reſumpſerunt : Et equidem aquae ad Bathoniam noſtram ſcaturientes, utpote quae ventriculo infirmato proſint, haud raro in hoc affectu

beneficia

beneficia contulere; imo etiam inſigniter aliquando praeſtare obſervatae ſunt, alvum dejicientes, poſtquam alia cuncta quibus profluvium, aegro tantopere, neceſſarium cieri debet, tentata ſunt incaſſum; adeo ut ab iis diu hauſtis, lacteo praeſertim, nec alio penu uſurpato, acceptum eſt commodum eximium.

Aſt revera fatendum eſt interea, quod, cum jam inveteraverit morbus penitus inſidens, medicorum hactenus nequaquam ſors fuit aliquid reperire, ſtatum aegro praeter infirmum, tenerum, et valitudinarium, conciliare valens: Ratio forſan ob quam praecipue meliora deſunt, nec magis proficere queunt medici, inſcientia ſaepe videtur eſſe modorum quibus in humanum corpus hoc virus irrepat; a praemiſſis autem facile ſuſpicetur, mali cauſam primariam fortaſſis perpetuo concreſcentem, ſed oculorum aciem fugientem, remedia efficaciſſima fruſtrata poſſe reddere.

In Actis Medicis de re vere notabili eſt facta mentio; a colicae iterato impetu,

redditus

redditus eſt nervis reſolutus generoſus quidam; nec res extemplo, quibus concitatus erat morbus, in propatulo fuere: Quum vero de iis, quae iſti in uſu fuerant, conquiſitius ſcrutatum eſſet, vini Luſitanici quotidie libram ſumpſiſſe comparuit; et, quoniam antea medicis incidiſſet ſuſpicio tale vinum interdum plumbo admiſto defaecatum eſſe, commonuerunt aegrum ut ab iſto potu abſtineret. Huic conſilio parens a morbo liberatus eſt cito, nec in eundem recidebat.

FINIS.